



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Desiderius. Dialogvs Vere Pius, & Comprimis Iucundus, De
Expedita Ad Dei Amorem Via**

Comalada, Miguel

Elvaci, 1685

Cap. II. Ut Deus per creaturas cognoscatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60062](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60062)

nec simpliciter & absolute, quid-
 quid in me est, vocem asseris?
 SIMPL. Eò videlicet, quòd malitia
 & peccata tua, quæ utique DEUS
 non fecit, non DEI, sed tuæ sint
 voces, quæ te vilem, improbum
 sive malum, impurum ac fœdum lo-
 quuntur. Ut enim per creaturas
 DEI ad ejusdem cognitionem duci-
 mur, ita per ea, quæ nos ipsi gessi-
 mus, quæque ex nobis proficiuntur,
 ad nostri licet notitiam perve-
 nire.

*Ut DEUS per Creaturas
 cognoscatur.*

CAPUT II.

DESiderius quidem non sine ad-
 miratione Simpliciteris spe-
 ctabat conditionem, quòd licet non-
 nihil rudis videretur, tamen rerum
 istarum sublimium, ac neutiquam
 vulgarium, tam prudens esset, di-

xitque illi : *DESID.* Quamobrem nos canere vis? *SIMPL.* Quò miserabilis hujus exilij difficultates, tædia & dolores faciliùs oblivioni tradamus, spemque ad charitatis *DEI* domum pertingendi non amittamus. Cui rei haud mediocriter suffragatur contemplatio creaturarum *DEI*: quas equidem ea ex causa in hoc patientiæ itinere collocatas volui, quòd Amorem *DEI* citiùs sis adepturus, si corde & cogitatione in hoc creaturarum codice sæpiùs versatus eris. Si quidem per patientiam & consolationem scripturæ literalis & divinæ, qualis est totus hic mundus, qui non nisi quidam *DEI* liber est, spem majorem concipimus. *DESID.* Quando igitur cantandum est, faciamus id, cujus gratiâ voces sumus, id est, *DEUM* laudemus ac benedicamus. *SIMPL.* Placet sanè: namque per hanc viam complures sese nobis voces offerent, quæ unà nobiscum concinent. Quandoque Discantus,
quan-

quandoque Tenor , quandoque
 Altus occurret. Atqui initio ut plu-
 rimùm Bassus obveniet : in medio
 frequens Tenor & Discantus erit ; in
 extremis Altus atque omnigenæ vo-
 ces, pleniùque cantus & melodiæ or-
 ganorum & (quæ vocant) Contra-
 punctorum , pro creaturarum tum
 varietate, tum multitudine. Ne-
 cessarium est autem, modò ex Mu-
 sices præscripto agere velimus, pri-
 mò quidem cantandi peritum esse.
 Cùm igitur voces habeamus, ca-
 nendi modus & adminicula perdi-
 scenda sunt. DESID. Ecquis ista
 nos docebit? SIMPL. Nimirum
 voces ipsæ. Aliæ namque creaturæ
 DEI bonitatem, aliæ potentiam ac
 celsitudinem, aliæ sapientiam, aliæ
 generositatem , aliæ pulchritudi-
 nem, aliæ dulcedinem, aliæ ma-
 gnitudinem, aliæ justitiam, aliæ li-
 beralitatem loquuntur : atque hoc
 pacto, pro sua quæque conditione
 & natura, DEI quadam nos notio-

ne imbuit, quò illius laudes gratesq;
canamus & divulgemus. Quamob-
rem des (obsecro) operam, ut hoc
in itinere quoad poteris, canendi
bene peritus evadas: maximè, cum
illis in ædibus Amoris, ad quas pro-
ficisceris, non nisi cantetur: ut, ubi
eò adveneris, jam antè hac arte in-
structus sis. Quisquis enim in jam
dicto itinere bona est voce præditus,
eamque crebrò exercet, illius vox
planè confirmatur, & longè melior
fit, adeò, ut deinceps eam mutare
nequeat. Atque prout quispiam hac
in via exercitatione quotidiana me-
lius cantare discit, ita illic cantor
insignior, cæterisque excellentior
habetur. **DESID.** Doceas me, qua-
so, ut per creaturas canendum sit:
nam per meipsum id haud facillè di-
dicero. **SIMPL.** Gratum habeo,
quod petis. Intereà Desiderius lon-
gè lateque per sylvas & solitudinem
proficiscens, multas **DEI** & Salva-
toris nostri **JESU Christi** virtutes &

ex-

excellentias, ejusdemque bonita-
 tem didicit & expertus est, idque
 potissimum Simplicитatis adminicu-
 lo, institutione, & grandi ope ac
 suffragio. Attamen multa ei peri-
 cula, duriq; labores subeundi erant,
 sapiusq; impingebat & titubabat: sed
 Simplicitas eum sustentabat, ne pe-
 nitus collaberetur. Quandoque
 etiam corruebat, sed manum ei por-
 rigebat Simplicitas. Interdum tam
 graviter ac profundè cecidit, ut, nisi
 Timoris DEI auxilio relevatus esset,
 nunquam nec potuisset, nec voluis-
 set resurgere. Nonnunquam ubi
 progrediendum erat, abibat retrò:
 atque ubi ex creaturis ædificari ac
 profectum facere debuisset, redde-
 batur deterior. Non enim in eam
 satis curam incumbebat, ut occultas
 vocum virtutes & nucleum perspe-
 ctum haberet, nec tantum ipsum
 magni pendebat, sed quadam se fi-
 nebat raucedine affici, donec divi-
 no pulsatus ac stimulatus Timore,

ni-

niteretur progredi. Sapiùs in sen-
tes ac tribulos pedibus incurrit: at
Simplicitas pedes tenebat, & Timor
Domini extrahebat spinarum acule-
os. Subinde somno deprimebatur:
at Timor DEI movebat excitabatque
somnia. Sapenumero ex
itinere defatigatus, quietem captu-
rus, sessum se recipiebat: atqui
Canis, Bona Voluntas, eò usque
latratus dare non destitit, donec sur-
geret. Quandoque tanto vexaba-
tur tædio, ut præ animi vacillantis
inconstantia, reverti meditaretur:
sed mox, ubi fructus edit, quos in
mantica sua ferebat, ad sese rever-
sus, vires animumque recepit.
Nonnunquam dum noctibus iter
faceret, tum DEI Timorem, tum
Simplicitatem perdidit, ita ut ex
itinere deviaret: sed simul atque
dies Sole oriente illuxit, citò, du-
ce Cane, ad viam rediit. Denique
cùm aliquot diebus iter egissent,
tan-

tandem ad amœnum quoddam &
gratissimum pervenere pratum, in
cujus medio regale erat Palatium,

CHARITATIS appellatum,
cujus Ostiarius erat Amor.

DE I.



PARS